



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXIV. De Persona Filii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXIV.

De Personâ Filii.

CIRCA Personam Filii duo præcipue sunt discutienda: primò ex quorum cognitione procedat: deinde cur sola Filii productio sit generatio; hoc verò licet à plerisque alibi tractari videam, in hunc tamen locum reservavi, ut quæ ad Filium spectant omnia simul tractentur. Vtrumque eâ, quam materia gravitas patitur, brevitate expediam.

SECTIO PRIMA.

De quibusdam nominibus, & proprietatibus secunda Personæ.

I.
Secunda Persona est vere Filius Dei naturalis.



SECUNDAM Trinitatis Personam esse verè & propriè Filium Dei naturalem, Patrique consubstantialem, & ðuocòsiov, certa est orthodoxorum omnium doctrina, variis Scripturæ & Conciliorum testimoniis firmata, ut ostendi supra, Disp. 49. sect. secundâ.

Symbolum Nicenum.

S. Augustinus.

Patres Concilii Antiocheni.

Hinc de Christo in Symbolo Niceno dicitur, *Genitum, non factum, consubstantialem Patri, &c.* Et S. Augustinus tom. 6. l. 3. contra Maximinum, cap. 14. ad finem, de Patre loquens: *Tantum, inquit, genuit, quantum est ipse, quia de seipso genuit verum Filium, & perfectam genuit plenitudinem Divinitatis, non persciendam ætatis accessu.* Patres itaque Concilii Antiocheni, dum verbum ðuocòsiov rejiciunt, id eo tantum sensu faciunt, quo hanc vocem Paulus Samosatani usurpabat, nempe ut Pater & Filius essent ejusdem specie solummodo Essentiæ, non numero, sed quoad naturam & essentiam eos æquè numero distinctos assererat, ac sunt duo homines, vel Angeli.

II.
Negabant olim quidam secundam Personam esse Verbum.

Alia appellatio, quæ secunda Personæ tribuitur, est *Verbum*. Antiqui olim hæretici, Alogiani dicti, negabant Filium esse *Verbum*, & ut hanc suam hæresin stabilirent, Evangelium S. Joannis, ejusque Apocalyp. ubi secunda Trinitatis Personæ hoc nomen sæpius tribuitur, rejiciebant. Origines in cap. 1. Joan. Verbum in divinis dici ait metaphoricè, quem proinde S. Thomas hic, quæst. 34. art. 1. ad primum, vocat *Fontem Ariænotum*. Tandem Durandus in 1. dist. 27. quæst. 3. Verbum in divinis contendit, propriè loquendo dici essentialiter, non notionaliter, sicque omnibus tribus Personis æqualiter esse commune, Filio verò peculiariter, non nisi impropriè attribui. Hæc tamen Durandi sententia à Theologis merito censetur temeraria.

III.
Nomen Verbi Filio, & soli Filio in divinis tribuitur.

Dicendum itaque, secunda Trinitatis Personæ, cuique soli nomen *Verbi* propriè attribui: ita S. Thomas prima parte, quæst. 34. art. 1. retractans id quod in 1. dist. 27. quæst. 2. art. secundo dixerat, ubi existimasse videtur *Verbum* tam essentialiter, quam personaliter dici. S. Thomam sequuntur Theologi recentiores, ut supervacaneum sit Authores referre.

IV.
Probatur secundam

Probatur primò: Joannis enim primo, vers. 1. de Filio sic habetur, *In principio erat Verbum, & E. P. Comptoni Theol. Scholæ, tom. 1.*

Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. ... Et Verbum caro factum est, &c. Epistolâ etiam primâ, cap. 5. v. 7. sic scribit, *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus.* Hoc etiam nomine aliàs sæpè in Scripturâ Filius appellatur. Hinc S. Augustinus secundam Personam ait, *Eo esse Filium, quo Verbum, & Verbum quo Filium.* Et S. Hieronymus: *Trinitatis, inquit, Majestas manifestissime declaratur: Dominus Verbum, Spiritus Domini, Verbum Patris Filius est.* Quod etiam passim affirmant alii Patres.

Trinitatis Personam esse propriè Verbum.

Ex quibus efficacissimum deducitur argumentum; cum enim, & frequentibus divinarum Litterarum testimoniis, & communi Patrum suffragio Filius *Verbum* appelletur, hæc omnia ad impropriis & metaphoricis sensus detorquere, & vim foret tantæ auctoritati inferre, & contra regulam à Theologis, de Scripturæ & Patrum dictis propriè, ubi possunt, explicandis, assignatam. Tandem eodem modo dicit alius nomen *Filii*, non propriè, sed metaphoricè tantum eidem competere, & non secunda Personæ magis, quam tertiæ convenire.

V.
Scripturæ & Patrum testimonium ad metaphoras non detorquenda.

Dices, tertia Persona à Scripturâ & Patribus appellatur passim Spiritus Sanctus, quæ tamen vox, tam secunda Personæ, quam tertiæ, totique adeo Trinitati ex æquo convenit: ergo ex auctoritate Scripturæ & Patrum nullum habetur argumentum. Respondetur, latam esse disparitatem; ad tertiam enim Personam exprimendam peculiare nomen à Patribus & Theologis non est excogitatum, sicque nil mirum si, dum de eâ loquuntur, vocem usurpent omnibus tribus Personis communem. At verò secunda Personæ propria erant & peculiarissima nomina assignata, ut *Filius, Genitus, &c.* nil ergo opus, si hæc vox *Verbum* Patri, aut Spiritui Sancto, perinde ac Filio competeret, ad illam pro hujus expressione recurrere.

VI.
Pro tertiâ Personâ peculiare nomen à Patribus & Theologis non est inventum.

Secundò ostendo contra Durandum nomen *Verbum* commune tribus Personis esse non posse; cui aliquod productum, quid productum, sapientia verò essentialis non est producta: ergo non est *Verbum*. Hinc S. Cyrillus Alexandrinus in thesauro sæpe, & lib. 1. in Joannem, cap. 4. peculiariter probat Patrem nullo modo dici posse *Verbum*, *Quia de ratione Verbi est ab alio procedere.* Sanctus etiam Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theologia, *Filium ait dici Verbum, quia genitum.* Quod etiam probat testimonium S. Augustini supra, num. 4. allatum. Ex quibus conficitur *Verbum* omnibus tribus Personis non convenire.

VII.
Verbum dicitur aliquod productum, ergo non est omnibus tribus Personis commune.

Bb

Dicos:

VIII.
Secunda Personâ
sape vocatur
Sapientia.

Dices: per vocem *Sapientia* saepe in divinis Libris significatur secunda Trinitatis Personâ, quamvis hoc nomen omnibus tribus Personis sit commune, idem ergo dici poterit de Verbo, maxime cum S. Damascenus primo Fidei, cap. 6. *Verbum Dei perfectionem* appellet *absolutam*; Sanctus etiam Basilius lib. 5. contra Eunomium, cap. 11. Spiritum Sanctum vocat *Verbum Filii*: quodque caput est, Apostolus ad Ephes. 6. vers. 17. *Gladium Spiritus* ait esse *Verbum Dei*.

IX.
Cur nomen
Sapientia
peculiariter
tribuatur
Filio.

Respondetur, ideo secundam Personam appellari *Sapientiam*, quia cum per intellectum procedat, est ex vi suæ processionis Sapientia subsistens, quamvis *Sapientia* sit quid toti Trinitati commune. At verò nomen *Verbi* ita secundæ Personæ est proprium, ut aliis non competat, ut jam ostensum est. Ad illa quæ proximè allata sunt, dico Apostolum loco ad Ephes. citato, non de Spiritu Sancto loqui, sed de Verbo externo prædicationis Evangelii, per quod Verbum, Spiritus Sanctus Gentilitatis circa Deum errores, & hominum peccata, tanquam per gladium quendam spirituales trucidat. Sanctus autem Basilius, dum Spiritum Sanctum vocat *Verbum Filii*, solum vult eum nobis manifestare Filium, sicut Verbum vocale conceptus mentis manifestat. Tandem Sanctus Damascenus per *perfectionem absolutam* intelligit, non oppositam relativam, sed omnino integram & completam, seu omnibus numeris absolutam.

Quo sensu
Verbum sit
perfectio ab-
soluta.

X.
Solutus Pater
ad divinis
loquitur, seu
dicit, pro di-
censio scilicet
est Verbum.

Omissit Durandus S. Anselmum in Monologio, cap. 46. docentem, *Dicere esse rem cogitare. & idem esse dicere quod intelligere*; unde saepe assertit omnes tres Personas dicere, sicut intelligere: ergo juxta S. Anselmum *dicere*, seu proferre Verbum, est quid essentiale, ac toti Trinitati commune, & omnes dicunt, cum omnes intelligant. Respondetur S. Anselmum in sensu non ita stricto & proprio sed latiore esse locutum, & contra communem acceptionem Patrum illius vocis *dicere*, qui, ut vidimus num. 7. *loqui*, seu *dicere* idem esse aiunt, ac *producere Verbum*, & propterea negant Patrem esse posse *Verbum*, quia ab aliâ Personâ non procedit. Ex his ergo constat, *dicere* non esse merè intelligere, nec quid essentiale, sed notionale, & soli Patri congruere, cum is solus ad intra Verbum producat.

SECTIO SECUNDA.

Utrum secunda Persona in Divinis sit imago Patris.

I.
Negat Du-
randus Fi-
lium esse Pa-
tris imagi-
nem.

DURANDUS, ut sectione præcedente vidimus, Secundam Trinitatis Personam negavit esse propriè *Verbum*: eandem similiter negat esse *Patris imaginem*: imò rationem imaginis non omnino reperiri assumat in divinis quod imago similitudinem requirat in naturâ, similitudo distinctionem; in divinis autem nulla datur in naturâ distinctio, sicque nec conceptus imaginis. Quod autem imago hîc similitudinem petat in naturâ, constat, nam in personalitatibus sunt dissimiles. Ait itaque, rationem Imaginis Filio, non nisi improprie, & per quandam accommodationem competere, nec Filio convenire magis quàm Spiritui Sancto, quem proinde, æquè Patris & Filii imaginem esse asserit, ac Filius est imago Patris, cum ab iis producatur, sitque in eadem cum illis naturâ, & in perfectione æqualis. Et quoad hoc postre-

Patris quo-
runda Gra-
viorum sen-
tentia.

rum de Spiritu Sancto, ex Grecis Patribus non pauci, ut S. Basilius, S. Athanasius, S. Damascenus, & alii, eum identidem Filii imaginem appellant.

Dicendum tamen cum communi Theologorum sententiâ, Filium in divinis esse verè & propriè imaginem Patris, non verò Spiritum Sanctum: ita S. Thomas hîc, q. 35. art. 1. & 2. & alii. Probat primò ex illo ad Hebræos 1. v. 3. ubi de Christo dicitur, *Qui cum sit splendor gloria, & figura substantiæ ejus*. Item ad Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis*. Idipsum alibi tum in veteri tum novo Testamento habetur. Hinc Sanctus Athanasius Oratio. 2. contra Arianos Verbum Dei vocat *splendorem, charactèrem, & imaginem Patris*. S. etiam Hilarius lib. 2. de Trinit. circa initium, Filium in divinis appellat *Imaginem invisibilis Dei, & formam Patris ingenti*. Eundem S. Ambrosius lib. 10. in Lucam vocat *Plenam imaginem Dei*. Idipsum tradit S. Anselmus, S. Damascenus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Augustinus, & alii.

II.
Filius in di-
vinis est ve-
rè & propriè
imago Patris

S. Athana-
sius.

S. Hilari-
us.

S. Ambro-
sius.

Huic proinde Durandi sententiæ nonnulli gravem, nec immeritò, inurunt censuram. Dionysius Cartusianus eam *periculosam & erroneam*: *Zumel falsam, & nimis periculosam in fide*: alii *temerariam, & errori proximam* appellant, utpote unanimi Theologorum consensio, sententiæque tot Scripturæ ac Patrum testimonii firmata, in re gravissimâ contrariam, quæ omnia ad improprios & metaphoricos sensus detorque, haud dubiè ingentis est temeritatis.

III.
Sententia
huic Duran-
di gratia à
Theologi-
maturatur
conjectura.

In reddendâ tamen hujus rei ratione non omnes perinde conveniunt. Hæc mihi pro præsentî (latior enim ejus discussio ponetur infra, dum de generatione Verbi) hæc, inquam, verosimilior ratio videtur: tria siquidem ex communi omnium conceptu ad imaginem requiruntur: ut sit simile protypo: ut sit ab eo expressa, seu producta, qua de causâ, inquit S. Augustinus, quamvis ovum ovo sit simile, non tamen est illius imago, quia non est ab eo productum: tertio ad imaginem requiritur, ut sit expressa seu producta ex intentione representandi prototypum; & defectu hujus, nec ignis B. ab igne A. productus, quantumvis ei similis, nec arbor ex alterius arboris semine proveniens, est illius imago; in his enim ex intentione naturæ aliud non intenditur, quàm propagatio speciei.

IV.
Trium ad re-
tentionem im-
aginis præci-
pua requi-
runtur.

Secures se habet in iis qui operantur cognoscendo, maxime in præditis intellectu, in his quippe, non speciei tantum propagatio à natura intenditur, sed individui generantis representatio. Hoc autem ex eo colligimus; communi enim omnium existimatione Filius in humanis censetur velut quædam illius imago representare Patrem, ac Pater in Filio adhuc superflite vivere. Hinc Ecclesiastici 30. v. 4. de Patre & Filio dicitur: *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se*. Ex quo habetur generantem; non solum ex intentione naturæ producere aliquid sibi simile, sed insuper, quod ipsum exprimat. Genes. item 5. v. 3. dicitur Adam genuisse Sethum *ad imaginem & similitudinem suam*. Idem testantur Patres: sic S. Greg. Nazian. orat. 36. post medium, *Compendiosa, inquit, facilisque paterna natura declaratio est Filius, omne enim quod genitum est, genitorem suum tacitâ quadam voce desinit*: quod etiam apud alios sæpius reperitur.

V.
Alia natura
intenditur in
cognoscendi-
bus, alia in
non cognos-
centibus.

Filius ex in-
tentione na-
tura repræ-
sentat Pa-
trem.

Secunda ergo Trinitatis Persona, cum sit Filius, ipso facto est imago Patris: quo autem pacto sit Filius, & per generationem producatur, accipiendò scilicet ex vi processionis sapientiam, seu actua-

VI.
Secunda Per-
sona est Fi-
lius, ac pro-
inde imago
Patris.

lissimam

lissimam Dei cognitionem, per quam Patrem perfectissimè refert ac repræsentat, quod non facit Spiritus Sanctus, & ideo non est imago, dicitur infra.

SECTIO TERTIA.

Alia quadam de ratione imaginis.

I. QUÆRES, utrū hæc ratio imaginis, Secundæ Personæ conveniat ratione Personalitatis seu relationis, an Essentiæ? Respondetur, cum ad conceptum imaginis, ut diximus, requiratur, & ut sit similis prototypo, & ut ab eo producat, utramque ad rationem imaginis esse necessariam, essentiam quidem, vel sapientiam, tanquam id in quo sunt similes; unde ad Hebræos 1. v. 3. dicitur Filius *Figura substantiæ ejus*. In Concilio etiam Antiocheno appellatur *Imago Divinitatis, essentia, virtutis, & gloria*. Unde S. Cyrillus Alexand. Epist. 10. in Concil. Ephes. approbatâ: *Propter eandem, inquit, quam cum illo habet essentiam, & Imago, & character, & splendor est gloria ejus*: quod etiam docent alii Patres. Ratio autem est; imago siquidem requirit similitudinem, Filius autem non est similis Patri in relatione, sed planè dissimilis, ergo ut sit ei similis habere debet aliquid utrique commune, qualis est essentia, intellectio &c.

II. Ad secundum tamen in imagine requisitum, nempe ut sit expressa, seu producta, necessaria est personalitas Verbi, essentia enim non producitur; unde & in Patre requiritur relatio Paternitatis, quæ eum constituit principium producens, & in Filio relatio Filiationis, quæ illum reddat Verbum productum. *Verbum*, inquit S. Anselmus in Monologio, cap. 37. *hoc ipso quod Verbum est, aut Imago, ad alterum est, quia non nisi alicujus Verbum est, aut imago.*

III. Ad argumentum ergo Durandi sect. præcedente num. 1. positum, dico licet natura vel sapientia, seu actualis intellectio, eadem numero sit in Patre & Filio, id tamen non obstat, quo minus sint similes, & Filius imago Patris: ad hoc enim sufficit distinctio personalitatum; nam ut dixi Disp. 29. Log. sect. 2. num. 5. 9. & 10. ad rationem similitudinis non requiritur, ut ratio, in qua aliqua duo sunt similia, sit realiter distincta, sed sufficit realis distinctio extremorum. Unde si in duobus parietibus esset eadem albedo, in duabus candelis vel stellis eadem lux, illi in albedine, hi in luce essent similes: imò hæc est perfectissima similitudo, utpote omnem excludens dissimilitudinem, ut loco citato, num. 9. ostendi.

IV. Spiritus Sanctus verò quamvis non minus habeat naturam divinam, & reliqua prædicata absoluta, quam prima & secunda Persona, & ab iis etiam producat, nec Patris tamen, nec Filii est imago, quia non procedit per intellectum, seu intellectio- nem, sicque ex vi processionis formaliter non est actualis notitia & repræsentatio Patris aut Filii, sed per modum cujusdam impulsus seu ponderis ab iis producitur. Quæ de causâ S. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 27. ut declaret processionem divinas, ait *Id, quod in nobis per intellectum procedit, esse imaginem, non autem quod per voluntatem*. De quo plura Disp. sequente, cum de generatione Verbi, quod ultimam hujus rei decisionem remitto.

V. Græci ergo illi Patres, sectione præcedente, num. 1. citati, dum Spiritum Sanctum vocant ima-

ginem Filii, de imagine loquuntur latè sumptâ, prout nimirum solum dicit similitudinem, non autem ut imago ex vi productionis dicit actualem expressionem, seu repræsentationem prototypi, hoc enim habet solus Filius, qui nimirum ex vi productionis accipit actualem intellectio- nem, quæ est substantialis, & perfectissima Patris repræsentatio: hæc autem ex vi processionis non accipit Spiritus Sanctus. Aliam, eamque clariorem rationem cur Filius sit imago Patris, tradam infra, Disp. 65. sect. 8. num. octavo.

SECTIO QUARTA.

Ex quorum cognitione Filii, & amore procedat Spiritus Sanctus.

HÆC, una est ex præcipuis difficultatibus, quæ in hac materiâ proponi solent, eaque de causâ paulò fusiùs pertractanda. Quod autem in hoc de Filio dicimus quoad cognitionem, idem dici de Spiritu Sancto potest quoad amorem: eadem proinde operâ utramque difficultatem expediemus.

Quinque hac in re diversæ sunt sententiæ. Scòtus in 1. dist. 27. q. 3. Filium ait procedere tantum ex cognitione Essentiæ divinæ, & attributorum absolutorum, non tamen Personarum, nec ullius omnino creaturæ. Secundò Vasquez hic, d. 42. cap. 4. & 5. cum docet procedere etiam ex cognitio- ne Patris & Filii, non verò Spiritus Sancti, nec creaturarum, etiam possibilem. Tertio Albertinus Verbum docet procedere ex cognitione omnium in Deo, etiam Personarum, non tamen ullius creaturæ. Quarto Bannez & alii Thomistæ hic, q. 34. art. 3. Suarez lib. 9. de Trin. cap. 4. & sequentibus: Tannerus 1. p. q. 4. dub. 3. Arrubal hic, Disp. 125. cap. 2. asserens hoc à communibus Doctorum ut certum supponi: Granado 1. p. tract. 9. Disp. 7. num. 5. hi, inquam, & alii nonnulli Verbum aiunt ex cognitione Essentiæ, Attributorum, Personarum, & creaturarum possibilem procedere, non tamen existentium. Quintò denique alii affirmant Filium ex omnium, etiam creaturarum existentium, cognitione procedere, ut paulò post videbimus.

Prima Conclusio: Verbum divinum ex cognitione, non essentiæ tantum & attributorum, sed Personarum, omniumque adeo quæ in Deo sunt formaliter, procedit: ita Cajetanus hic, q. 34. a. 3. ubi etiam Bannez, Zamel, & alii Thomistæ, Molina ibidem, Valentia 1. p. Disp. 2. q. 3. punct. 2. qui alios asserunt: Suarez, Tannerus, Granado & alii num. præcedente citati. Hæc etiam expressâ videtur mens S. Augustini lib. 15. de Civit. cap. 14. ubi sic habet: *Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio, sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter novit & Filius in se, scilicet tanquam ea, quæ nota sunt de his, quæ Pater novit in seipso, &c. Sciunt ergo invicem Pater & Filius, sed ille gignendo, iste nascendo.* Hæc S. Augustinus.

Ratio autem est: Filius enim procedere debet ex cognitione perfectissimâ, adeoque comprehensivâ divinæ essentiæ, ergo per eam cognosci debet, non solum essentia, & prædicata absoluta, sed etiam Personæ, cum harum cognitio ad essentiæ comprehensionem, plenamque & perfectam ejus cognitionem planè sit necessaria: si enim in creatis ea,

quorundam ex Græcis Patribus.

I. Eadem hic difficultas est de Filio, & de Spiritu Sancto.

II. Quinque diversi dicendi modi circa processionem Filii.

Varie variè opinantur de processionibus Verbi ex creaturarum.

III. Verbum procedit ex cognitione essentiæ, attributorum, & Personarum.

S. Augustinus.

IV. Cognitio per quam procedit Verbum, esse debet perfectissima.

Quid ad cognitionem perfectissimam, seu comprehensionem suam referantur.

quæ quovis modo à re aliquâ respiciuntur, cognosci debeant, ut res illa comprehendatur, perfectaque de eâ habeatur notitia, quanto magis ad comprehensionem divinæ essentia requiritur cognitio Relationum, quæ realiter cum essentiâ sunt identificatae, multoque magis ad illius integritatem, completumque existendi modum pertinent, quàm modi ulli aut accidentia ad complementum rei aliqujus creata, quæ tamen juxta Philosophos cognosci omnia debent, ut res illa comprehendatur, & cognoscatur modo perfectissimo. Hoc est præcipuum, imò unicum hujus conclusionis fundamentum.

V. Cognitio Spiritus Sancti, ex qua Verbum procedit, est intuitiva.

Quæres, utrùm hæc Spiritus Sancti cognitio, ex qua Verbum procedit, sit intuitiva. Negant aliqui, dicuntque eam esse abstractivam. Omnino tamen tenendum esse intuitivam; cognitio enim abstractiva illa est, quæ rem representat ut ab omni existentia abstrahentem: hoc autem modo Pater non cognoscit Spiritum Sanctum, cum eum cognoscit sicuti est: ergo hæc cognitio non est abstractiva.

VI. Dicere possit Spiritus Sanctus ulli modo futurus.

Quæres secundò, an Spiritus Sanctus (idem est de Filio) respectu cognitionis, qua producitur Verbum, dicendus sit futurus? Respondetur, si sermo sit de futuritione propriè & rigorosè sumptâ, hoc dici nullo modo posse, cum hujusmodi futuritione successione dicat secundùm tempus. & duo faltem instantia includat, sese invicem subsequencia.

VII. Verbum dici nequit futurum.

Si verò loquamur de futuritione secundùm quid, & per conceptus nostros inadæquatos, etiam hoc modo Verbum dici omnino non potest futurum, seu exiturum, ne quidem ratione nostrâ: Pater enim concipi nequit ut prior in quo Filio, cum per actualem ejus productionem constituatur, sed tantùm prior à quo, seu origine, cum nec esse Pater, nec concipi possit sine Filio. Quoad Spiritum Sanctum verò existimant probabiliter nonnulli, dici posse pro aliquo signo posteriori futurum, seu exiturum: ita loquitur P. Tannerus hic, Disp. 4. q. 4. dub. 3. num. 23. & P. Arriaga l. p. Disp. 52. sect. 4. num. 24.

Spiritus Sanctus dici aliquo sensu potest exiturus.

SECTIO QUINTA.

Objectiones contra processionem Verbi ex cognitione Spiritus Sancti.

I. Obicitur, cognitio Spiritus Sancti est prior Filio; ergo Spiritus Sanctus.

HIN c solvitur præcipuum argumentum, quod contra processionem Filii ex cognitione Spiritus Sancti opponi solet. Arguitur itaque primò: Spiritus Sanctus pro illo priori quo producitur Filius, existit, Pater enim in illo priori quo generat Filium, habet, ut sect. præcedente, num. 5. diximus, cognitionem illius intuitivam; ergo in illo priori videt eum existere; ergo in illo priori existit Spiritus Sanctus: ergo prius existit, quàm Filius, quod tamen dici nequit, cum Filius sit principium illius productivum.

II. Spiritus Sanctus in illo priori videtur pro signo aliquo posteriori existens.

Respondetur, aliud esse Patrem in illo priori videre Spiritum Sanctum existere, aliud videre eum, existere in illo priori; hoc enim secundum est falsum, pro illo siquidem priori non existit Spiritus Sanctus, cum non ipse, sed tantùm illius cognitio, quam nimirum de eo habet Pater, sit principium Filii. Magis ergo propriè loqueretur is, qui, juxta dicta numero septimo, sect. præcedentis, Patrem diceret in illo priori Spiritum Sanctum videre ex-

titurum, pro signo scilicet aliquo sequente, quàm existere. Cognitio ergo Spiritus Sancti est in illo priori, non tamen ipse Spiritus Sanctus.

Nec inter Theologos novum est, aut inusitatum, hujusmodi rationis signa in divinis prædicatis concedere; sic enim qui varia in Deo attributa, ratione distincta statuunt, intellectionem divinam hoc modo priorem esse aiunt volitione, illamque Filio prius communicari, quàm hanc; unde & Filium dicunt prius in quo existere habentem intellectionem, quàm producatur Spiritus Sanctus. Hoc etiam modo Essentia à Theologis ratione nostrâ statuitur prior attributis, ac veluti eorum radix: immutabilitas similiter prior esse dicitur æternitate, & sic de aliis; quæ fufius declarata sunt supra, Disputatione quartâ.

Respondent alii secundò, quando dicitur Spiritum Sanctum pro illo priori esse, quo producitur Filius; respondent, inquam, negando ullam ibi dari prioritatem præterquam originis: nec enim, inquit, est prioritas nature, hæc etenim vel naturarum distinctionem dicit, vel independentiam, quarum neutram hic reperiri certum est: nec est prioritas rationis, aut subsistendi consequentiâ, nec etiam originis; Spiritus Sanctus siquidem Filium non producit, ergo nulla ibi est prioritas: Ad argumentum proinde dicunt, negandum esse suppositum.

Contra processionem Filii ex cognitione Spiritus Sancti arguitur Secundò, hinc sequi Spiritum Sanctum esse principium Filii, & hunc illius imaginem. Respondetur neutrum sequi; nec enim necessarium est ut objectum, etiam in creatis, physicè concurrat ad cognitionem, cum ut in Philosophiâ dixi, dari possit cognitio supra seipsam reflexiva. Multò minùs hoc requiritur in divinis, ubi essentia & intellectio sunt ex se maxime fecundæ, nec ad cognitionem cujuscunque rei habendam, objecti concursu indigent. Ex quo etiam constat Filium non esse Spiritus Sancti imaginem, cum, ut supra sect. secundâ dixi, imago ab eo produci debeat, cujus est imago: Filius autem à Spiritu Sancto non producitur.

Quod verò aliqui tanquam incommodum inferunt, si nimirum Verbum ex cognitione Spiritus Sancti procedat, sequi Verbum esse, quia Spiritus Sanctus est: dico si sensus sit, Verbum sine Spiritu Sancto esse non posse, dictum illud esse verissimum: si autem per hoc significare velint Spiritum Sanctum esse Filii principium, nec verum est, nec illo modo ex dictis à nobis hæctenus deducitur: imò contrarium ostendimus num. præcedente.

SECTIO SEXTA.

Vtrum Verbum procedat ex cognitione creaturarum possibilem.

CONCLUSIO affirmativa: ita Suarez, Arrubal, Tannerus, Granada, & alii supra, sect. 4. num. 2. citati, contra Scotum, Vasquez & alios ibidem etiam citatos. Ratio est eadem quâ sect. illa 4. probavi Verbum procedere ex cognitione Personarum: Verbum siquidem procedere debet ex cognitione perfectissimâ, adeoque comprehensivâ Essentia divinæ, ejusque attributorum: sed hæc cognitio perfectissimè comprehensivâ cognosci nequeunt, nisi cognitio creaturis possibilem, nulla siquidem causâ cognosci comprehensive potest, nisi effectus ejus omnes posibles cognoscantur.

III. Ratione gratuita divinæ prædicationis à Theologis concessa.

IV. Negant aliqui, alium dari prioritatem præterquam originem.

V. Non sequitur Spiritus Sanctus esse principium Filii, aut hinc esse imaginem.

VI. Quo sensu Verbum sine Spiritu Sancto.

I. Procedit Verbum ex cognitione creaturarum possibilem.

Cognitio creaturarum ad probationem est necessaria.

Quod

Quod hic peculiariter urget, cum ut supra, D. 17. & in Philosophiâ, Disp. 6. Physicorum diximus, Deus transcendentaliter ad creaturas possibiles referatur, & essentialem ad eas dicat ordinem.

II. Nec vim ullam habet, quod opponit P. Vasquez, & cum eo recentiores aliqui, Deum scilicet esse magis necessarium, quam creaturas possibiles, ergo ex earum cognitione procedere non potest Verbum, sic enim non esset magis necessarium, quam creatura. Hoc argumentum non tam urget contra processionem Verbi, quam Deum probat transcendentaliter non referri ad creaturas.

III. Inprimis itaque P. Suarez lib. 9. de Trin. cap. 6. num. 19. P. Tannerus 1. p. Disp. 4. q. 4. dub. 3. num. 31. & P. Arriaga hic, Disp. 52. num. 29. negant antecedens, Deum scilicet esse magis necessarium, quam creaturas possibiles, cum ob essentialitatem, quam cum iis habet, connexionem, iis ablati, Deus non peristeret. P. Granado tamen 1. p. tract. 9. Disp. 6. num. 8. productionem Verbi magis necessariam esse ait, quam creaturas possibiles, quia firmioribus, inquit, & perfectioribus nititur fundamentis. Hanc solutionem in idem recidere existimo cum præcedente, affirmat enim ipse, sublata possibilitate creaturarum, processionem Verbi, Dei que Omnipotentiam, & Essentialitatem sublatam iri. Solum ergo vult excellentiorem in Deo hanc esse necessitatem, non propriè majorem: quo etiam sensu dicunt aliqui, has & similes propositiones, Deus est trinus & unus: Verbum est incarnatum, &c. esse veriores hac & hujusmodi, Homo est animal: si equalibus aequalia demas, qua remanent erunt equalia &c. quia scilicet veritas est in nobiliori subiecto: re tamen verâ hæc propositiones sunt in veritate pares.

IV. Eodem fere modo solvitur quod obijci solet, Deum scilicet esse primarium divinæ scientiæ objectum, creaturas secundarium, ergo pro aliquo priori Verbum procedit ex cognitione divinæ Essentialitatis, utpote objecti primarii, quam creaturarum, ergo pro aliquo priori Verbum est productum, quam creaturæ cognoscantur, ergo ex harum cognitione non procedit.

V. Respondetur, quamvis Deus sit objectum primarium illius scientiæ, creaturæ solummodo secundarium, cum tamen, ut diximus, primarium hoc objectum essentialitatem habeat connexionem cum secundario, Deus nunquam cognosci potest, quin cognoscantur creaturæ, per cognitionem præsertim comprehensivam, qualis, ut ostendi, esse debet illa, ex qua Verbum procedit. Unde in hac cognitione nulla in objecto primario respectu secundarii est prioritas, nisi dignitatis & excellentiæ, seu cujusdam præminentia: Dei collati cum creaturis. Eodem ergo modo Verbum prius prioritate dignitatis procedit ab hac cognitione, prout terminatur ad Essentialitatem & attributa divina, non tamen prioritate ullâ in quo, cum cognitio comprehensiva nec esse, nec concipi possit, quin terminetur ad creaturas, idque sive hæc possibilitatem suam à Deo accipiant, sive non; qua in re diversæ sunt auctorum sententiæ: de quo plura numero sequente.

VI. Arguunt itaque aliqui tertio: Verbum prius existit, quam creaturæ sint possibiles, ergo ex harum ut possibilitatem cognitione procedere non potest. Primo, admissio antecedente, negatur consequentia: sicut enim, ut sect. præcedente, num. 2. diximus, quamvis Filius prius aliquo modo existat, quam Spiritus Sanctus, ex hujus tamen cognitione procedere is potest, tanquam pro signo aliquo posteriori existenti; ita in presenti, licet prius existat

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Filius quam creaturæ sint possibiles, procedere nihilominus potest ex earum cognitione, per quam repræsententur possibilitatem pro signo aliquo sequente habituræ.

Respondetur secundo, cum P. Suarez hic, lib. 9. cap. 6. num. 19. negando antecedens; creaturæ si quidem possibilitatem illam suam qualemcumque ex seipsis quasi habent, non quasi à Deo; hæc quippe prædicata, animal rationale, ex se; & naturâ suâ intrinsicâ habent, ut possint in unum compositum coalescere; rationale & irrationale habent quod non possint, nec Deus efficere potest, ut vel hæc prædicata inter se conjungi possint, vel illa non possint; licet nec efficere potest ut homineo, hippocervus, & alia id genus chimæ sint possibiles. Unde secundum hunc procedendi modum creaturæ possibiles disparatè se habent ad existentiam Verbi.

Tertio cum eodem Suarez cap. illo 6. num. 28. dici potest, etiam si creaturæ possibilitatem illam suam intrinsicam habeant à Deo, adhuc eas sub hac ratione non esse posteriores, sed aliquo modo quasi priores Verbo; nec enim qua possibiles pendent à Verbo, ut Verbum est, sed ab omnipotentia; hæc autem est aliquâ ratione prior relationibus, absoluta enim, juxta commune Theologorum pronuntiatum, sunt priora respectivis; ergo creaturæ qua possibiles, seu termini omnipotentia divinæ, sunt ut ita dicam, quodammodo priores Verbo: ergo cognitio sub hac ratione ad ipsas terminata, potest esse principium Verbi.

Id solum noto, quod de Filio dicimus quoad processionem per intellectum, idem de Spiritu Sancto asserendum quoad processionem per voluntatem, cognitionis voce in amorem mutata; ut initio hujus disputationis observavimus.

SECTIO SEPTIMA.

Utrum Filius ex cognitione, & Spiritus Sanctus ex amore creaturarum existentium procedat.

Hæc præcipua est in hac materiâ difficultas: Unde multi, qui ex omnium hæctenus dictorum cognitione Verbum procedere affirmant, & ex scientiâ simplicis intelligentiæ, creaturarum scilicet possibilitatum, illud tamen ex scientiâ visionis, seu creaturarum existentium cognitione procedere negant: ita Suarez, Bannez cum aliis Thomistis, Arrubal, Tannerus, Granado, supra sect. 4. num. 2. citati.

Dicendum nihilominus Verbum, non ex creaturarum tantum possibilitatum, sed etiam existentium cognitione procedere, & actus omnes liberos scientiæ à Patre accipere, in quibus specialis non apparet repugnantia. Hæc videtur aperta mens D. Thomæ prima parte, quæst. 42. art. 6. ad 2. ubi de Patre loquens, ait cum dedisset Filio scientiam & voluntatem agendorum, eum generando. Quæstione etiam 37. art. 2. ad 3. ait Patrem concipiendo se & alia omnia, producere Verbum. Idem tenet ex recentioribus Valentia prima part. Disp. 2. quæst. 8. p. 2. asserens hanc fuisse communem antiquorum sententiam: Zuniga disp. 9. Arriaga, & alii.

Probatur primò ex sacra Scripturâ: Joan. enim c. 5. vers. 21. dicitur: Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, que ipse facit: quæ verba explicans ibidem S. Augustinus, Pater, inquit, ostendit Filio existentiam.

Bb 3

quod

VII.

Creatura possibilitatem intrinsicam habent quasi ex seipsis.

Deus naturæ creaturarum immutabilem.

VIII.

Dicunt quidam creaturas possibiles esse aliquo modo priores Verbo.

Absoluta sunt priora respectivis.

IX.

Idem de Spiritu Sancto est, ac de Filio.

I.

Hæc præcipua est hujus materiæ difficultas.

II.

Verbum procedit ex cognitione creaturarum existentium.

III.

Ex sacris literis ostenditur Verbum procedere ex cognitione existentiam.

Verbum prius dignitate procedit ex cognitione, ut terminatur ad Deum.

Utrum Verbum prius existat, quam creaturæ sint possibiles.

quod facit, & ostendendo Filium gignit. Item Joan. 8. v. 26. Ego, inquit Christus, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo: & vers. 28. A meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: ubi S. Augustinus: Hoc, inquit, est eum docuisse, quod est scientem genuisse: & paulò post, Quæmadmodum ei gignendo dedit ut esset, sic gignendo dedit ut nosset. Hinc idem S. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 14. Non enim, inquit, seipsum integrè, perfectèque dixisset Pater, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in seipso, &c.

IV. *Quid sit Patrem omnia dicere, ac demonstrare Filio.*

Ex his itaque habetur, Patrem per generationem omnia dicere, ac demonstrare Verbo: ergo ei etiam dicit futura, seu existentia, cum hæc inter omnia contineantur, maximè cum, ut proxime vidimus, dicat Scriptura Patrem omnia demonstrare Filio, quæ ipse facit; non autem facit nisi existentia. Hinc etiam Concilium Florentinum in literis unionis ait: Pater Filio omnia gignendo dedit, præter esse Patrem, omnia scilicet quæ ipse habet: cum ergo habeat ipse cognitionem existentium, eam dat Filio, alioqui non daret ei omnia.

V. *Quid sit Patrem dicere creaturas Verbo.*

Patrem verò demonstrare, aut dicere aliquid Verbo, aliud nihil est, quàm illud prius origine cognoscere, ejusque cognitionem ei per productionem communicare: sicut secundum omnes hoc modo dicit illi suam essentiam, eam scilicet ipsi per productionem communicando: nullum autem est fundamentum ad asserendum posse Patrem per scientiam necessariorum, quam habet prius origine, filio communicare scientiam necessariam, & non posse per scientiam liberam eadem communicare liberam; scientia siquidem libera in Patre est etiam infinite perfecta: ergo non minus fecunda erit ad suum effectum, vel quasi effectum, scientiam scilicet liberam communicandam, quam scientia necessaria ad communicandam necessariam.

Tam ad hoc efficax est scientia libera, quàm necessaria.

Ratio à priori.

Respondet P. Suarez lib. 9. de Trin. cap. 7. n. 5. P. Granado Tract. 9. disp. 7. num. 11. & alii, Verbum non immediatè & formaliter, sed mediatè tantum & materialiter seu virtualiter accipere à Patre scientiam existentium, quatenus nimirum dat ei Pater scientiam necessariam creaturarum possibilem, quæ ubi est in Filio, incipit formaliter representare existentia, sicque hæc existentium cognitionem virtualiter, non formaliter accipit à Patre. Contra primò: pari enim ratione dicit alius contra hos Auctores, Filium scientiam possibilem, imò & Personarum non accipere immediatè, & formaliter à Patre, sed tantummodo cognitionem divinæ Essentiæ, quæ ubi est in Filio, incipit formaliter representare Personarum existentiam & possibilem. Contra secundò: Scriptura enim & Patres nullam inter communicationem scientiæ possibilem & existentium faciunt distinctionem: ergo nec nos ullam facere debemus, cum propriè, ubi possunt (posse autem sequente Sectione ostendemus) accipi debeant. Alioqui etiam, contra S. Augustinum non esset Verbum adequatum.

VI. *Filius, non materialiter tantum, sed formaliter accipit scientiam existentium, à Patre.*

Quæres, Utrum Verbum, non ex scientia tantum simplicis intelligentiæ & visionis, seu creaturarum possibilem & existentium procedat, juxta jam dicta, sed ex scientia etiam mediâ, seu conditionatâ, creaturarum scilicet sub hac vel illâ hypothesi futurarum? Negat Suarez lib. 9. de Trin. cap. 7. num. 9. Granado sic, tract. 9. Disp. 8. n. 3. & alii. Exillimo nihilominus Verbum ex hac etiam scientiâ procedere, ob rationem jam addu-

Scripturæ & Patres eodem modo de utraq; scientiâ loquuntur.

VII. *Verbum procedit etiam ex scientiâ mediâ, seu conditionatâ.*

Etiam, quia nimirum procedere debet ex cognitione perfectissimâ, & comprehensivâ, qualis illa non est, quæ objecta etiam conditionatè futura non cognoscit.

SECTIO OCTAVA.

Argumenta contra processionem Filii ex cognitione, & Spiritus Sancti ex amore libero, seu existentium.

OBIECIENS primò: si Verbum procedat ex scientiâ liberâ, ergo erit contingens. Contra, inquiri utrum scientia Dei, prout terminatur ad existentia, sit contingens? si ita, uti revera est, non quidem quoad entitatem, & formaliter, sed quoad terminationem, & virtualiter, juxta dicta supra, Disp. 36. de actu libero Dei, eodem modo Verbum ut est expressivum, seu representativum, contingentium, est quoad hanc formalitatem, vel virtualitatem, seu denominationem, aut quo id cunque nomine appellare quis velit, contingens.

Nunquam tamen absolute & simpliciter concedendum est Verbum esse contingens, cum præcipue procedat ex cognitione necessariorum: secundum hunc verò conceptum non potuit omnino non esse. Imò prout est expressivum liberorum, non est absolute liberum: etsi enim res actu existentes potuissent ut tales non exprimerent, cum hæc potuissent non existere, in eo tamen casu cognoscere debuissent earum negationes, seu eas non existere, cum nihil ignorare possit. Neque in hoc ut dixi est ulla difficultas in Verbo, quæ non urgeat de scientiâ Dei.

Objicies secundò: generatio Filii prior est scientiâ futurorum, hæc quippe posterior est productione Spiritus Sancti, cum sit post decretum liberum de eorum existentia: hoc autem decretum supponit omnes tres Personas existere, cum omnes tres de rerum existentia decernant: ergo prius producit Filius, quam Deus habeat scientiam futurorum. Respondetur, nihil hic esse singulare, quod omnes solvere non debeant in scientiâ Dei, ubi eadem signa rationis admittenda sunt, quæ in processione Verbi. Dico itaque, in primo signo produci Verbum quoad essentialia, eique communicari scientiam necessariorum: in secundo signo Pater & Filius ex hac scientiâ producunt Spiritum Sanctum similiter quoad essentialia, & amorem necessarium: in tertio signo sunt decreta libera de rerum productione & existentia: in quarto demum signo habet Pater scientiam liberam, seu visionis rerum jam futurarum, & eam Filio communicando, quoad hanc virtualitatem cum producit. Prædicta autem signa, & virtualitates non est cur quis hic refugiat concedere, cum omnes hæc, aut his similia, ut dixi, admittere debeant in scientiâ Dei.

Objicies tertio: si Filii scientiam liberam accipiat à Patre, ergo & Spiritus Sanctus ab eodem & Filio accipiet actus liberos amoris: hoc autem dici nequit, sic enim essent hi actus liberi, & non essent; essent, ut supponimus; non essent, nec enim est in Spiritu Sancti potestate illos non habere; sed posito quòd eos Pater det, non potest non illos accipere. Propter hanc difficultatem, quæ sine dubio est gravissima, nonnulli, quamvis hæcenus nobis in scientiâ liberâ confen-

I. *Nulla est difficultas de Verbo, quæ non sit de scientiâ.*

II. *Verbum divinum non est absolute appellandum contingens.*

III. *Quo sensu Verbi generatio sit prior scientiâ liberâ.*

Varia signa in productione Filii & Spiritus Sancti.

Hæc signa admitti debent in scientiâ Dei.

IV. *Objicit sequi, Spiritum Sanctum amare & non amare libere.*

Quidam
hac in re
non satis lo-
quuntur
consequen-
ter.

serint, hic tamen asserunt licet scientiam liberam Filius accipiat à Patre, Spiritum Sanctum nihilominus actus voluntatis liberos à Patre & Filio, ob rationem jam dictam non recipere. Sed, nisi aliud quam hoc afferant, non satis consequenter hac in re loquuntur; quidni enim tantam amor liber vim habeat ad communicandum amorem liberum, quantum scientia libera ad communicandam scientiam.

V.
Pater actus
liberos, non
solos, sed si-
mul cum
naturâ co-
municat.

Respondetur itaque, Patrem in hac sententiâ actus illos liberos non solitarios, & veluti à naturâ separatos communicare, sed unâ cum iis communicare naturam, in qua solâ exercetur libertas; personalitas enim, neque in creatis neque divinis est id in quo exercetur, seu quod immediatè denominatur liberum; hoc siquidem immediatè competit naturæ; cui in creatis formaliter, in divinis virtualiter insunt actus liberi. Sicut ergo, si Petrus suam animam cum actibus liberis, quos in se habet, communicare alteri posset, ille alter non minus liberè per hos actus ageret, quam Petrus, quia eandem cum eo liberè agendi & potentiam habet, & operationem: idem est in presenti.

In personali-
tate non ex-
ercetur im-
mediatè li-
bertas.

VI.
Sola natura
est, que ex-
ercet liber-
tatem.

Non ergo obstat, Spiritus Sancti personalitatem non potuisse actus illos voluntatis impedire: cum enim, ut dixi, sola natura sit, quæ exercet libertatem, & hæc eadem sit in omnibus, & eodem in se ubique habeat actus, eadem in omnibus est determinatio ad volendum, idemque numero exercitium libertatis, ac proinde aequaliter omnes se ad agendum determinant, & eandem exercent libertatem; sicque Spiritus Sanctus potuisset simpliciter non habere actus illos amoris, cum ejus natura, quæ est sola & adæquat illorum radix, potuisset eos non habere. Quæ mea hac de re sit sententia dicam sectione sequente.

SECTIO NONA.

Alia quedam circa processionem Spiritus Sancti ex amore libero.

I.
Argumentū
contendens
non posse Spi-
ritum Sanctum
actus
sui liberos,
solum om-
nes accipere
à Patre.

VERUM circa dicta occurrit difficultas: non enim videtur Spiritus S. actus suos liberos, saltem omnes accipere à Patre immediatè, sed aliquos mediatè tantum, quatenus nimirum dat ei Pater amorem necessarium creaturarum possibilem, qui ubi est in Spiritu Sancto, incipit liberè tendere in res existentes, & virtuali hac extensione, ac tendentiâ fieri earum amor: qua ratione ut Sectione præcedente, num. 6. vidimus, P. Suarez, & P. Granado nobis hac in parte contrarii procedebant de scientiâ liberâ, seu existentium.

II.
Varia signa
in communi-
catione
scientiæ &
amoris.

Pater ergo juxta hos Auctores, in primo signo (loquimur tantum de scientiâ & amore creaturarum) habet in se scientiam & amorem necessarium creaturarum: in secundo signo Pater producendo Filium, scientiam hanc & amorem communicat Filio: in tertio Pater & Filius producendo Spiritum Sanctum, eandem scientiam & amorem ipsi etiam communicant: in quarto signo secundum hanc sententiam omnes tres Personæ sine ullâ hac in re prioritate, aut quacumque subordinatione, in eodem planè signo simul se determinant ad amorem liberum, seu decretum producendi creaturas: ita ut una Persona nullo modo, ne quidem origine hunc amorem prius habeat quam alia, aut una alteri communicet; sed in hoc amore seu decreto habent se quasi dispa-

Quomodo in
econtrariâ sen-
tentia tres
Personæ se
determinant
ad amorem
liberum.

ratè: in quinto demum signo cum eadem independentiâ habent omnes tres Personæ scientiam liberam, seu creaturarum pro aliquâ differentiâ temporis existentium, quæ scientiâ visionis appellatur: hæc enim supponit res existentes, & consequenter decretum de earum existentia positum. Hæc illi.

Scientia li-
bera sequi-
tur amorem
seu decretum
liberum.

Aliâ viâ procedunt contrariæ sententiæ Auctores: omissis verò tribus primis signis, quæ tamen fortassis alio modo statui possent, in quarto signo dicunt tres Personæ divinas, non sine omni subordinatione se ad amorem liberum, ac decretum producendi creaturas determinare, seu Patrem prius origine amorem illum & decretum habere, & communicare Filio, deinde Patrem & Filium eadem communicare Spiritui Sancto, sicut Sectione septimâ diximus Patrem communicare scientiam liberam Filio. Unde inquirunt, & Filius & Spiritus Sanctus actus amoris liberos habeat sibi à Patre prius origine communicatos, sicque non in eodem illos signo originis habere eumque, nec in eodem signo cū Patre se ad illos determinare.

III.
Tres Perso-
næ divina
nō in eodem
signo origi-
nis se ad a-
morem li-
berum de-
terminant.

Hinc ergo oritur difficultas: ut enim Pater Filius aut Spiritui Sancto actus liberos communi- cet, debet illos prius origine habere: sed actus aliquos liberos habet Filius & Spiritus Sanctus, qui non videntur esse in Patre, nisi per circuminsessionem, de qua tamen hic non loquimur: per circuminsessionem enim non essentia tantum Filii est in Patre, sed etiam Personalitas, seu Filiatio, & Paternitas in Filio, Personæque divinæ sibi mutuo totæ inexistunt, juxta illud quod canit Ecclesia, In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.

IV.
Actus ali-
quos liberos
habet Filius
& Spiritus
Sanctus, quos
non videntur
habere Pa-
ter.

Minor itaque, quod scilicet Filius & Spiritus Sanctus actus aliquos habere videantur, quos non habet Pater, sic ostenditur: Filius habet hunc, & similes actus, efficaciter volo incarnari, pati, mori, &c. & Spiritus Sanctus hunc, Volo apparere in formâ linguarum ignitarum, &c. hos autem actus non videtur habere Pater, ut constat: si enim haberet, incarnaretur, appareret in formâ linguarum ignitarum, &c. sicut è contra Pater habet hunc actum. Nolo incarnari, quem tamen actum non videtur habere Filius: sic enim haberet actus repugnantes, cum de factò dicat, Volo incarnari.

V.
Filius habet
hunc actum,
Volo incarnari,
Pater
non videtur
eum habere.

Dices: Pater habet hunc actum, efficaciter volo Filium incarnari; hic autem actus idem est cum illo quo Filius dicit, Volo incarnari; idem enim est utrobique objectum. Sed contra: in sententiâ enim actum liberum Dei statuente adæquatè intrinsecum, possunt esse plures actus liberi in Deo circa idem planè objectum, ut ostendi supra, Disputatione trigesima-sexta.

VI.
Circa idem
planè obje-
ctum possunt
dari duo ac-
tus liberi
Dei.

Contra secundò: in his enim actibus reperitur diversum objectum: actus siquidem quo Filius dicit Volo incarnari, habet diversissimum objectum ab actu quo Pater dicit, Volo ut Filius incarnetur; hic enim secundus actus habet Patrem seu Primam Trinitatis Personam pro objecto, per eum namque dicit Pater (hoc loquendi modo circa actus voluntatis utuntur Philosophi, quamvis voluntas non loquatur) dicit inquam Volo, hoc est, Ego volo, ubi apertè involvitur persona volens, seu Pater: sicut quando quis dicit tu vis, involvitur illa secunda Persona, de qua is loquitur: In priori autem actu, quo Filius dicit, Volo incarnari, Persona Patris nullo modo involvitur, nec ingreditur tanquam objectum illius partiale: ergo hi duo actus sunt diversi, & consequenter Filius habet actum aliquem liberum, quem non accipit à Patre; Pater siquidem communicare cum nequit

VII.
Aliis pra-
dictis habent
diversissimum
objectum.

Volo incarnari, & volo ut Filius incarnetur, videtur actus diversi.

*Si in veris-
fatis, ita in
liberis com-
municare
nihil potest
Pater, quod
ipse non habet*

Filio, si illum non habeat, sicut non videri habere ostensum est numero quarto & quinto; quemadmodum enim in necessariis nihil communicare potest Pater, quod ipse non habet, ita nec in liberis. Quod autem de Filio dictum est, dicendum eodem modo videtur de Spiritu Sancto, quoad actus saltem quosdam ipsius liberos, ut loco proxime citato est declaratum.

VIII.
*Volens aliqui
habet actum ef-
fectum tantum
actum intell-
lectum.*

Non sum nescius viros quosdam doctissimos, & in re tum Theologicâ tum Philosophicâ veratissimos asserere, hos & similes actus, *Volens incarnari, Volo*, seu *ego volo ut Filius incarnetur*, esse actus intellectus, non voluntatis. Iis tamen hac in parte non acquiesco: quamvis enim non negem dari posse actum intellectus quo persona volens indicet hanc suam volitionem alteri (qua ratione, ut infra, Disp. septuagesimâ quintâ, sect. 4. 5. & 6. videbimus, multi explicant locutionem Angelicam) videtur tamen nullo modo negari posse, quin actus similis, seu cum eodem planè objecto præcesserit in voluntate, cum cum repræsentet hic actus intellectus, alioqui actus iste intellectus non foret verus.

IX.
*Actus quos-
dam volun-
tatis ingre-
ditur Perso-
na volens,
quomodo
non ingre-
ditur om-
nes.*

Deinde hi duo actus voluntatis diversissimi videntur, actus exempli gratiâ quo Pontifex diceret, *Petrus sit Pastor, Canonicus, Episcopus &c.* & actus quo diceret, *Volo, seu ego volo ut Petrus sit Pastor, Canonicus, Episcopus &c.* hos inquam duos actus nullus, opinor dicit non esse diversos ex parte objecti, & in secundo ingredi tanquam objectum personam volentem, quæ tamen non ingreditur priorem. Quare, ut ulterius non differam, hos & similes actus, *Volo ut Ioannes oret, scribat, legat &c.* ingreditur semper persona volens ut volens pro objecto, sicut oratio, scriptio, lectio, eisdem ingreditur tanquam res volitæ: hos tamen & similes actus, *Petrus oret, scribat, legat &c.* non ingreditur persona volens, sed tan-

*Aliquos a-
ctus ingre-
ditur tantum
res volitæ.*

tam res volitæ. Quamvis etiam dari possit actus imperans aliam volitionem, ut *Volo velle ut Petrus scribat &c.* actus tamen prædicti non sunt tales; unde hic actus *Volo Petrum orare*, vult, decernit & statuit immediatè ut oret, & nullo modo supra se, aut alium actum voluntatis reflectit. Solum addo, eos qui actus prædictos liberos dicunt esse actus intellectus, incidere in eandem difficultatem circa communicationem actuum scientiæ liberæ Filio, cum de iis idem formari possit argumentum.

*Eadem est
difficultas
de actibus
intellectum.*

Hoc argumento si quis pro veris admittat, quæ in eo continentur, ostendi apertè videtur, non posse, vel Filium, vel Spiritum Sanctum omnes saltem actus liberos voluntatis à Patre accipere, cum ut Pater eos communicet, habere illos debeat prius origine: hic tamen discursus contendit Filium & Spiritum Sanctum habere actus aliquos liberos voluntatis, quos non habet Pater, ut juxta superius dicta, dum Filius dicit *Volo incarnari &c.* Spiritus Sanctus, *Volo apparere in formâ linguarum ignearum &c.* nihil verò communicare ulli Personæ potest Pater, quod ipse prius origine non habet, ut dictum est; nec enim *Essentiam divinam, aternitatem, immensitatem, omnipotentiam, &c.* reliqua attributa communicare posset Pater Filio, aut Pater & Filius Spiritui Sancto, nisi hæc omnia prius aliqua ratione ab iis haberentur, ut apud omnes est in confesso. Quæ verò circa hanc difficultatem isthic proposui, non asserendo prædicti, sed ut occasionem aliis præbeam, ulterius hac de re discurrendi, plenèque difficultati propositiæ satisfaciendi.

X.
*Argumentum
hoc emittit
Filius, aut
Spiritus San-
ctus, nati-
vere autem
liberum ac-
cipere posse
à Patre, aut
Spiritu San-
cto.*

De Personâ autem Spiritus Sancti ex professio agemus infra, Disputatione sexagesimâ sextâ: præsentem verò difficultatem, cum communis Spiritui Sancto sit cum Filio, opportunus hîc fuit tractandi locus.

*Et essentiam
& attributa
communicat
Pater, debet
ea habere.*

XI.
*De Spiritu
Sancto age-
mus infra,
Disp. 66.*

